

(4) *externum*, ORATIO, nimir. *externa*, dictum, quod efficiunt Notiones externæ, Phrases & Sermones, secundum artificialem enunciandi vel eloquendi modum inter homines, sub certâ verborum quantitate junctim statutâ, dispositæ.

CAPUT II.

De Principio Corporis puro, seu de Conceptu totius Essentiæ saltem indistincto, quem dicimus *Materiam*.

§. I.

In omnibus ejusmodi continuis seu connexis, & certâ ratione conjugatis & constructis Copiis, h. e. in omnibus Corporibus, sicut in rebus quibuscunque, præcipuè tamen in *Corporibus naturalibus* (de quibus omnia, quæ hîc dicuntur, principaliter & directè sunt intelligenda) primo statim loco considerari debet duplex essentiæ cognoscendæ *status*, binis positionibus *quaterna Principia* largiens, nempe

1. *Signatus* & idealis, qualem res in mente nostrâ tenet, quoties eam contemplamur, ubi per Ideam præconceptam semper nobis præsens est, & Objecti vel Subjecti cognoscendi rationem exserit. Nam, si reipsâ sit in rerum naturâ, si non sit; perinde tamen ejus Idea mentem afficit, ac si reverà coram nobis extra mentem hîc spectaretur: quod ipsum ineffabile cognoscendi, docendi, deliberandi, sibi prospiciendi, subsidium largitur.

2. *Status exercitus* & actualis, quâ res extra mentem Hîc & Nunc se reipsâ sistit, dum existit. In utroque Statu notanda duplex illarum cognoscendæ rei *positio*, tum ipsius oppositi *remotio*, quarum illarum cognitionis plagam & quasi regionem directam sequitur; hæc ad plagam cognitionis adversam collineat, ut res utrinque, veluti *pro & contra*, clarè perspiciatur. Et POSITIO quidem

1. quoad statum Essentiæ *si natum*, est

1. *Pura*, quâ res indistinctè, sinè modo, concipienda, supponitur.

2. *Modalis*, quâ res sub certo modo distinctè spectatur,

2. quoad Essentiæ statum *exercitum* est

3. &c.

3. *Si-*